

Bibliothèque numérique

medic@

**Sanson, Alph.. - An in morbis
periodicis una et eadem causa, una et
eadem curatio ?**

1829.

[s. l.] : Ex typis Eug. Guiraudet

Cote : 90975



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : <http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?90975x1829x02x17>

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI ET EX MANDATO SUMMI GALLIÆ UNIVERSITATIS

MAGISTRI INSTITUTA ANNO 1823.

AN IN MORBIS PERIODICIS

UNA ET EADEM CAUSA,
UNA ET EADEM CURATIO?

THESES

*Quas, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi, præ-
sentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputationibus
subjiciet et dilucidare conabitur, julii mense, anno 1829,*

ALPH. SANSON,

CELEBERR. FACULT. PARIS. DOCTOR.

EX TYPIS EUG. GUIRAUDET,

VIA DICTA SAINT-HONORÉ, N. 315.

1829.



JUDICES.

Præses. D. ESQUIROL.

LANDRÉ-BEAUVAIS.

CAYOL.

CHOMEL.

ADELON.

Judices. DD. ANDRAL.

FIZEAU.

GAULTIER DE CLAUDRY.

KERGADEDEC.

RULLIER.

COMPETITORES.

DD. SANDRAS.

HOURLMAN.

ROYER-COLLARD.

BERJAUD.

SANSON (Alphonse).

GUILLLOT.

FORGET.

AYME.

VIDAL (de Cassis).

DD. GUÉRARD.

REQUIN.

DE FERMON.

DUBOIS (d'Amiens).

DALMAS.

CHOMEL.

GUIBERT.

MENIÈRE.

MAILLY.

UNA ET EADEM CAUSA,

UNA ET EADEM CURATIO?

PARS PRIMA.

An in morbis periodicis una et eadem causa?

Antequam de morborum ob periodicitatem congruentium causis disseram, decet ut indicem : 1° quid communis, quid diversi extet inter morbos periodicos et alio typo subjectos ; 2° quid dicatur periodicitas ipsa.

Congruunt morbi periodici cum quibusdam continuis, remittentibus, aut inordinatè intervallatis, in sede, in anatomicis læsionibus, in symptomatibus, in causis remotis ex quibus nascuntur : hoc fit ut sub iisdem indicentur nominibus, ut iidem habeantur morbi, atque solo duntaxat differant typo ; indè etiam periodicitas estimatur non secùs ac morborum casus.

Plurimorum porrò morbi ordinum, etsi non omnium, quandoque periodicitatem offerunt, nevralgia, phlegmasiæ, inter species, phthisis, podagra et rhumatismus, hemorrhagiæ, hydropisis et secernentium organorum læsiones.

Haud tamen satis vera dicerem si non adderem eorundem casus morborum periodico typo frequentius repugnare. Sic læsiones anatomicæ graves et chronicæ, sic symptomatum conspiratio inflammatoria febris dicta, sic phlegmasia ex vulnere orta, etc. Omnes contrà morborum periodicorum circumstantiæ sæpissimè reperiuntur, dato typo nempè remittente et continuo.

Characterè nullo distinguitur phlegmasia quæ unum vel alterum subiit typum. Ita de nevralgiis, de febribus. Podagra certè periodicè recurrit, phthisis ferè constanter. Differunt cæterùm morbi periodici non tam naturà suà quàm frequentia : nam formæ quædam libentiùs periodico adhærent typo ; aliæ quædam cæteros amare videntur typos. Omnia morbi periodici occupant organa, quamvis eligere ante alia videantur systemata universa, nervosum nempè atque capillare, et inter peculiariora, fibrosum, synoviale, mucosum, musculosumque.

Utriusque hujusce typi easdem morbi præbent læsiones anatomicas, sed plerumquè minimè profundas et sæpiùs omninò evanescentes, quòd potiùs acuti quàm chronici.

Quandoque tamen manent læsiones quæ sub sensu cadunt; tùm recedunt solum aliquot ex symptomatibus, vel eorundem signa evidentissima. Hæc plerumque transeunt rapidius et vehementius quàm crederes prout læsionum anatomicarum gravitate.

Ex iisdem remotis causis nascuntur morbi periodici continuique, licet circumstantiæ sint eadem et agendi modo tantùm dispares; etenim, circumstantiarum periodum periodus subsequitur morborum, et contrà, continuos continui, ut constabit infrà. Ex omnibus his inferre licet solo tantùm typo differre, reipsâ, periodicos et continuos remittentesque morbos. Hic ergò impendamus quid dicitur periodicitas?

In eo consistit quùm morbus quidam, postquàm omninò aut fere omninò evanuerit, iterùm sævierit æquali temporis intervallo.

Indè sequitur ut non morbus quicumque intervallatus sit periodicus, sed periodicus quicumque sit intervallatus, servatâ quâdam lege.

Hujus mirabilis periodicitatis quæ sit causa rogabis. Si benè valentia interrogamus corpora, omnes, inæquali licet modo, periodum quemdam, non secus ac legem, functiones sequi, respondetur. Intermissionis lex sine dubio in cerebro regnat, somni præcipuâ sede, atque in aliis organis ad sentiendum aptis. Intermissionem etiam admittimus in secretionibus digestivis, hepatis, glandularum buccalium, duodeni, etc. Sanè intervallata est actio sensuum. Omnes socialis vitæ res ordinantur, omnia ideò corporis humani gesta, artes, cænæ, recreationes, quies. Orbis terrarum ordini humana nostra subjicitur machina; alii aliis succedunt in eo motus.

Alternâ vice agit pars aliqua, et quiescit postea. Incitantur circulatio sanguinis ipsa atque respiratio motibus corporis humani; interea sedet nutritio. Sudor præsertim præcipuas subit vices ex externis circumstantiis, frigore nempè atque aeris humore, ex interno statu, collapsu aut excitatione. Cutis suâ vice in secretionem profundam motum impellit haud inanem. Organa quædam alternè mutuas inter se implent vices; præsertim notanda sunt organa secernentia, cutis, renes, membranum digestivum, etc. Itaque cujusque organi actio necessario intervallatus est; quùm munere suo fungitur organum quoddam, cætera quiescunt plus minùsve. Nunquam igitur metitur æqualiter actio aut cessatio corporis; non cogitat homo, non digerit, sudat, et eodem temporis spatio et modo æquali. In somno vigilat nutritio. Porro quid videmus quùm exercetur organum aliquod? circulationem capillarem rapidiorem, molem auctam, calorem acriorem, sensus acutiores, etc. Qualescumque sint vires, huc confluent, contrà desunt aliò.

Ponamus nunc earumdem actionum regulares esse reditus. Dum alia silent organa quibus deest incitatio, quasi inter statum totius corporis et excitationem partis peculiaris oscillationes essent, tùm renovabuntur quæ suprâ dixi, deficientibus etiam plurimis antè dictarum circumstantiis ex præcepto legis naturæ, quæ nominatur *consuetudo*. Major in corpore versatur mobilitas virium vitalium; facillimè explicatur hac versatilitate ad eadem gesta eadem propensio.

Postquàm causas investigaverimus remotas, causas proximas morborum qui periodicum affectant typum numerosas atque varias esse reperiemus. Sic podagræ proxima multùm certe abest à phthisis, quarum causæ à febrium intermittentium non minùs distant.

Hac licet paulò magis immoremur. Quibus de causis aggressiones podagræ et accessus phthisis febriumque intermittentium declaremus. Apud podagrâ laborantes, et de sanguinis, et de urinæ, et de sudoris, analysi colligere est, materiam inesse quamdam alienam et adventitiam, quæ humoribus in diversas corporis partes, præsertim verò in articulos inferatur, inque iis sanguinis profluvia, nevralgias, aliosque æstus gignat atque incitet. Purulentæ materiæ colluvie, quam in phthisicorum corpore conspiciere licet, satis constat, vitium quoddam nutritionis, quod frigido aeris humori animoque mæroribus consumpto haud immeritò adscribas, pulmone quondam incubuisse. Si deniquè febres continuas intervallatas, nervorum systema, sive primitus alternâ vi aeris modò frigidi calidique affectum, necnon et corrupti aeris palustriumque exhalationum inspiratione, sive secundo hisce ipsis causis tentatum quæ organum quoddam invaserint, incenderint, inque illud febris æstum immiserint, nervorum, inquit, systema peculiariter atque præsertim morbidarum causarum imperium subiisse videtur, quæ fortassis haud absurdè duplices ponderaremus, unam nempe frigus, alteram miasmata absorpta.

Quæ verò in hisce variis morbis periodi recurrentis sit causa, instabis. Si in exemplum hemorrhagias attulissem, quæ sanguinis egestionum periodicè revertentium vices implent (ut hæmoptysis, quæ menstruorum retentorum partes suscipit), et quæ periodico cursu, non secùs ac mulierum suspensi menses, utuntur, illud idem, sed rectà, conclusum esset, causa morbi proxima facillimè reperta et designata, atque sine dubio plenitudini adscripta esset; periodicitas ad consuetam atque ordinariam sanguinis egestionem, nunc suppressam, relata esset. Consultò in exempla morbos quorum causa latet vel adhuc sub lite est, protuli. Quam ad causam periodicitatem in exemplis quæ sponte meâ legi adscriberes? Utrùm materia, quam, haud repugnat credere, de podagri

corpore naturâ studet depellere, periodicum in modum sese formavit? Utrûm similes occurrunt periodi in phthisi formam suam induturâ? Haud dubiò. Expulsis tuberculis, redit valetudo, quam nova eorum coacervatio disturbat. Continuo adsunt symptomata inflammatoria; quâ de causâ accessus tempora phasibus et quasi imperio sanguineâ plenitudinis subjiciuntur non minùs ac irritabilitati corporis, quam certæ anni tempestates, ver scilicet et autumnus, regere videntur. Si accidit ut morbus progressus fuerit ac vehementer sævierit, frequentius revertuntur accessiones, periodum certum atque normam frangunt dierum, sed tamen certis diei horis recurrunt.

Magis conspicuè videres febres intervallatas causarum imperium remotarum atque motu certo agentium confiteri. Vespertinum tempus maximè periculosum est, quo sol jamjam occasurus palustres vapores impotens est detinere, sed cum frigidior aere in terras remittit.

Ita semper causæ remotæ occurrunt, semper causæ proximæ et periodicè agentes reperiuntur in variis iis morbis qui hunc typum affectant. Quùm cuidam aliæ succedunt causæ, motibus animi scilicet, etc., non secùs ac periodicè hæc eadem egit. Nevralgiæ periodicæ, si eas percipendissemus, non minùs haud dubiò argumentis fecundas reperissemus.

Licet ergo valde leges naturæ experimentis ipsis patefactas, statutum habere, 1^o in casibus quibusdam certis, eam, absentibus ipsis causis, adhuc repetere quosdam actus, quos, præsentibus quondam, aliquandiù egit; 2^o magis atque magis mollem atque teneram fieri causis quæ constans atque diuturnum imperium in eam exercuerunt, et sic, subsequentibus indesinenter, fieri quasi coacervationem quamdam effectuum quos quæque protulit causa peculiaris, adeò ut indè propensio et habilitas certa ad periodicitatem oriatur.

Sed in quo consistit propensio illa, de quâ disserimus, ad periodicitatem? Quodpiam systema legem illam subit? Citaremusne organum quod sedem ejus nominaremus? Utrûm mutationem ipsam, nempe corpoream, ac eam comitatur agentem, expanderemus? Sensus hoc præterit atque illudit nostros. Nervorum systema, quod motus corporis intimos gubernare videtur, sedem ei præbere videtur.

Luminis quid in illud effundere nitentibus necesse est, ut causas ponant quæ effectibus respondeant, secundùm investigandi modum quo in cæteris physices partibus utuntur. Porro, organorum actio atque ratio quâ dissoluta componantur et composita iterùm dissolvantur omnino possunt cum chimie phænomenis comparari. Licet igitur, sicut et

his, illis quoque unam et eandem adscribere causam, ludos nempè electricos. Probabile indè videtur phænomena vitalia sicut et chimica privatas tantùm leges vel condiciones imponere electro : ità fit ut nunc suspendeantur, cohibeantur, aliis temperamentis utantur, prout diversis animi motibus, et ideò cerebri imperio submittuntur. Hâc cognatione innixi, nec non et experimentis quibus probatur systema nervosum apud animalia electrica velut luxuriari, electricum fluxum musculorum contractiones proferre, atomicamque vitam acriorem efficere; innixi etiam celeritate actuum voluntatis, quæ cum fulguris tantùm comparari possit, systema nervosum veluti electricæ actionis moderamen atque receptaculum considerare possumus, adeò ut quod fluidum vocabant electricum verè possit vocari nervosum, sicque systema illud nervorum virium sit organicarum omnium quasi dispensator. Si reipsâ hoc munere fruitur, si verè componendis dissolvendisque atomis præsit, si phænomena hæc omnia ex fluido electrico inæqualiter distributo atque in systemate nervoso velut in sede servatâ oriuntur, vagi rheumaticique morbi causas habent suas in variis ejus systematis vicissitudinibus atque motibus. Illud etenim systema intermittit jam in suis actibus normæ cui-dam subjectis; si morbus intervenit, nonne naturæ et rationi congruere videtur illi sedem simul et causam periodicitatis adscribere.

Quibus positis, concludamus.

- 1° Morborum periodicorum causæ proximæ sunt multiplices.
- 2° Periodica etiam est causarum quæ morbos illos afferant actio; non absunt à morborum causis qui quempiam alium affectant typum.
- 3° Causam periodicitatis verisimilem reperire est in nervorum systemate peculiariter affecto.

PARS SECUNDA.

An una et eadem curatio ?

Plurima adhibita fuerunt medicamenta. Veteres, ad Hypocratis exemplum, herbis subamaris utebantur (quintum folium), quibus adjungebant purgationem; jamjâm viam in rectam ingrediebantur. Quandoque ægros sanabant, quamplurimis usi substantiis amaris, acerbis, adstringentibus, aromaticis, callidisque. Peregrinationes meritò salutares dictæ fuerunt. Animi vehementissima perturbatio etiam in remediorum utilium numero citata fuit; sed præsertim medici, ex quo repertus fuit cinchonarum cortex, illum ante alia anteposuerunt. Sæpius vero omnia hæc spes medicorum illuserunt. Quid sit commune si horum medicamentorum virtutem compares? Repugnabitne credere futurum esse ut periodicitatis causa medicamentorum virtute aperiatur.

Omnia hæc remedia in eo concurrunt ut impetum periodicè ordinatum quo vires vitales impelluntur divertant. Potentissimo verò mentem applicemus.

Quum, integrâ valetudine, ingestum fuit cinchonei corticis efficax elementum, siti laboratur, calor cutem aridam occupat, in ventriculo gravedinis quid et caloris sentitur; constipatur; secretiones digestivæ minuuntur; quandoque, et præsertim quum cortex ipse totus ingestus sit, fit vomitus, etc.

His paucis probatur hanc medendi rationem perturbationem asferre. Item dicam de balneo frigido, item de animi acerrimis motibus. Credo equidem cinchonam eo magis posse quàm lentiore et durabiliorem.

Sic ipsa remediorum inquisitione jure colligitur argumenta nostra de periodicitate verè corroborata esse.

An eodem jure concludere liceat unam et eandem esse curationem?

Minime studiosè unam tantam esse periodicitatis causam posuimus, dùm plurimæ contrâ extent causæ proximæ quæ morbos periodicos suscitent; quarum aliæ certam morborum speciem gignunt tantum, aliæ verò ad plurima genera pertinent. Remotas quoque distinguimus causas.

Porrò curatio sapientiâ haud indigna variis hisce causis est accommodanda.

Periodicitati opponatur cinchona quum morbi præcipua necessariaque causa periodicitatem producente corporis statu videtur inesse. Sic in febrilibus symptomatibus periodicis, sic in nevralgiis, sic in hemorrhagiis in quibus plethor deest, exempli gratia, apoplexia, hæmoptysis apud ægrotantes debiles, etc. Quamvis remedio isto usus fueris, haud omittenda est curatio causarum remotarum ipsius periodicitatis. Necesse est consuetudines loci, gestorum, etc., funditùs verti. Sed quum morborum extat causa proxima evidentior, hanc agrediemur propriis huic remediis: hemorrhagiis cum plethore, sanguinis emissionibus et derivativis remediis; earum causis remotis objice contraria. Si morbus ex menstruis suppressis pendet, hæc in primam et naturalem sedem revertantur; antispasmodica contra hysteriam, epilepsiam, etc.

Uni et eidem causæ proximæ periodicitatis una et eadem curatio congruit.

Causis proximis ejusdem speciei aut generis morborum plurimis plurima remedia.

Causis remotis, plurima quoque plurimis.

PARS TERTIA.

An propositæ conclusiones, sive factis, sive scriptorum autoritate, satis firmè nitantur?

Ne argumentorum intercideretur contextus, necesse fuit ut singula quæque enuntiata, quibus universa sustinentur atque fulciuntur, à priori acciperentur. Quare nunc ad ea facta, unde digressi sumus, quæque nobis prætermittenda ob hoc visa sunt, revertamur, atque singularia exsequamur argumenta.

Utrùm morbi periodici solo duntaxat typo à cæterorum quibusdam discrepent?

Quas notaverunt res perspicuas interrogemus; et ad exempla, de phlegmasiis, quas febris comitatur seu non, quæque oculis, vivo vel defuncto homine, objiciuntur, disseramus.

Ut a sede incipiamus, omnia quæ cæterorum typorum morbi invaserunt organa periodicè laboraverunt: in exemplum asseram *oculorum inflammationes*, de quibus apud Hoffman (1), Van Swieten (2), Strack (3), Stoll (4), Colombot (5), Richerand (6) (typo quotidiano obstrictis), fusiùs tractatum reperies; apud Arloing (7) (tertio quoque die redivivis), apud Mongellaz (8) (tertio, deindè etiam quinto, et octavo), apud Hoffman rursùs (9) (anni curriculo); sic quoque *coriæ* notatæ sunt apud Stoll (10), Vandermonde (11), Deschamps (12), Carron (13); *otitidum* exempla præbent Gesner Philippus (14), D^r Bourgeois (15); *exanthematum* quæ febres concomitantur seu non, apud Godard (16) reperiuntur (urticaria nempe quæ bis die exaret), Gollin (17) (urticaria cum typo tertiano), Melchior Fribe (18) (scabies cum mense periodica), Morton (19) (scarlatina cum typo quotidiano), Stork (20) (ma-

(1) Op. omn., t. 2, obs. 6. (2) Comm. in Boerrh. Aph. 757. 3, Observ. med. de feb. interm., obs. 625. (4) Méd. prat., an. 1777, obs. 5. (5) Mém. (6) Nosograph. chirurg., t. 2. (7) Journal général de médecine, t. 58. (8) Essais sur les irritations intermittentes, t. 1^{er}, p. 44, opus cui multum et ipse debui. (9) Loc. cit., p. 168. (10) An. 1776. (11) Journal de médecine pratique. (12) Maladies des fosses nasales et des sinus. (13) Journal général de médecine pratique. (14) Nov. act. nat. cur., t. 2. (15) Journal général de médecine, t. 66. (16) Journal de médecine, an. 1759. (17) Journal de Sedillot, t. 55. (18) Collection académique, t. 3. (19) Opera omnia hist. 24. (20) Anuas med. sec. pars, 167.

culæ lividæ quotidianæ), D^r Giorgiadi (1), Kaïman (2) (erysipelas periodica), Mongellaz (3) (erysipilas mensis periodum sequens, et typo subjecta quintano), Conrad Gmelin (4) (erysipelas post quadraginta et quinque dies periodicè recurrens), Lorry (5) (idem), D^r Deleau (6) (erysipelas annua), Barbette (7) (phlegmo tertianus), D^r Arloing (8) (phlegmo genarum bi-quotidianus); *rheumastisma* et ad *podagram* pertinentes dolores, D^r Bagué (9), Morton (10) (idem cum typo quotidiano et tertiano), D^r Havard (11) (id.), auct. anon. (12) (rhumatismus articulorum, cum typo tertiano), Raim-fortis (13) (id.), Warlhof (14) (podagræ naturam affectans morbus); *encephali* phlegmasiæ exempla, Stork (15) (phlegmo in cerebro, cum typo quotidiano), D^r Audouard (16) (id.), Schwilgué (17) (phlegmasia laryngo-trachealis cum typo intervallato quotidiano), D^r Valentin (eadem cum typo primùm intervallato, postea remittente quotidiano), D^r Jurine (18) (eadem). P^r Alibert, secundum Galeazzi (19), Strack (20), (pleuritis intermittens tertiana), Arloing (21) (id.), Sauvages (22) (id.), Mathæi (23) (pleuropneumonitis tertianus), Archier (24) (id.), Morton (25) (id.), Arloing (26) (id. et unaquædam quintana), nost. celeb. Portal (27) (cum typo semi-tertiano hepatitis), Delbosc (28) (id. cum typo quotidiano tertianoque), D^r Martinet (29) (id. cum typo mensuo et semi-mensuo), Morton (30); *nephritis* intermittens quotidiana, Lemery (31) (id. cum typo intermittente quintano), Gabrieli (32) (id.), Auxiron (33), (uteri inflammatio cum typo intermittente quotidiano), Pinel (34),

(1) Mongellas, Essai sur les irritations intermittentes, t. 1^{er}. (2) Acta nat. cur., t. 5. (3) Op. cit., t. 1^{er}, p. 64. (4) Comm. litt., 1757, p. 60. (5) De morbis cutaneis. (6) Aperçu sur l'abus du vomissement, p. 72. (7) Praxis, p. 56. (8) Journal de médecine, t. 58. (9) Essais d'Edimbourg, t. 6. (10) Op. cit. hist. 22, et exercit. 2, hist. 13. (11) Thèse inaugurale, fructidor an 13. (12) Éphémérides des curieux de la nature, an 8, obs. 46. (13) Sauvages Nos. method., t. 2. (14) Observationes de febris. (15) Ann. secund. cad. 8, p. 250. (16) Mémoire sur le croup. (17) Journal de médecine, chirurgie et pharmacie, vol. 26, p. 192. (18) Mémoire couronné sur le croup, manuscrit. V. Mongellaz, t. 1^{er} p. 206 n° 95. (19) Fièvres intermittentes pernicieuses, p. 76. (20) Observ. de feb. intermitt., obs. 32. (21) Journal général de médecine, t. 58. (22) Nosol. methodique, t. 2. (23) Journal de la Société médico-chirurgicale de Parme, t. 2. (24) Journal de médecine, année 1784, t. 61. (25) Op. omnia inst. 21. (26) Loc. cit. (27) Observ. sur la nature et le traitement des maladies du foie. (28) Journal général de médecine, t. 72. (29) Bibliothèque médicale, t. 65. (30) Op. om. his. 28. (31) Journal des savants. (32) Déc. 3, ann. 8, p. 308. (33) Journal de médecine, t. 24, année 1766. (34) Nosog. phil.

(id.), Torti (1) (ead. chronica cum typo quartano); auct. anon. (2) (*peritonitis* cum typo intermittente tertiano), P^r Alibert (3) (id. cum typo intermittente primùm, postea quartano); D^r Desruelles (4); (*gastritis* cum typo intermittente quotidiano, et gastro-enteritis cum typo variabili), D^r Brachet (5) (tres gastritides cum typo intermittente quotidiano), Gail-
lard (6) (*gastritis* cum typo duplici tertiano, menorrhagiâ comitata),
Morton (7) (ead. intermittens tertiana), Lesaive (8) (id. cum typo ter-
tiano), D^r Lejumeau de Kergaradec (9) (id. cum typo quartano), D^r
Deleau (10), D^r Mongellaz (11), secundum D^r Burnier-Fontanelle (*gas-
tritis* cum duobus typis, annuò et ad quemdam recurrens mensem),
Rouzel (12) (*gastro-enteritis* successivè cum typo intermittente intra
quindecim dies, duodecim, decem, octo, deniquè quinque), Mathey (13)
(*colitis* intermittens quotidiana), D^r Desruelles (14), Picquié (15) (*dysen-
teria* cum typo intermittente tertiano).

Hâc vocabulorum enumeratione quæ morbis illis imposuere medici
auctores, satis confirmatur phlegmasias quæ numero frequentia organa
solent invadere periodicitatem posse affectare; et, si prædicta diligenter
legeris facta, nihil differre reperies læsionum inter anatomicarum natu-
ram symptomataque à phlegmasiis prælata quæ hujus typi quasi legem
sequuntur, interque phlegmasias quæ eam repugnant et aversantur. Ope-
ræ pretium non erit hæmorrhagias et nevroses, semper ferè intermitten-
tes, tam diligenter investigari. Quod ad symptomata febrilia attinet, tam
affinia, videtur esse habitus corporis qui periodicitatem in nervorum mo-
tibus impellit atque incitat, ut morborum eorum continuationem magis
quàm periodicos typos mirari liceret. Eadem pariter sunt causæ remotæ.
De morbis qui typum periodicum sequuntur disserenti mihi visum est,
in remotarum causarum numerum depellere proximas illas quæ morbi
genus et naturam secum trahunt, eumque quasi constituunt. Sic irritans
illa materia quæ febres intervallatas parit, id est miasma absorptum, cau-

(1) Thérap. spéciale, lib. 4, cap. 5, tit. 12. (2) Acta nat. curios., dec. 2,
ann. 2. (3) Op. cit. 5^a edit., p. 106. (4) Journal universel de médecine, t. 11.
(5) Essai sur les fièvres intermittentes, à la fin du traité sur l'opium. (6) Jour-
nal général, t. 12. (7) Op. om. his. 16. (8) Journa' universel de médecine, t. 19,
p. 359. (9) Journal général de médecine, t. 68. (10) Op. cit. p. 64. (11) Op. cit. t. 1^{er}, p.
273. (12) Journal général de médecine, t. 16. (13) Maladies de l'esprit. (14) Journal
universel de médecine, t. 15. (15) Journal de médecine, t. 42, ann. 1774.

szæ tantùm remotæ partes agens, hanc periodicitatem profert quæ tamen ipsa in nervorum morboſo ſtatu (1) ſedem habet ſuam. Hâc enim mente copia mihi fuit aſſerendi, periodicitatis unam tantùm cauſam eſſe, eſſi quàm plurimæ et variæ morborum eſſent periodicorum. Novum argumento præſidium aſſert quod in ſe ipſo expertus eſt D^r Brachet; confirmatur enim quàm potens ſit periodici morbi gignandi cauſa qualiſcumque quæ corporis habitum periodicè ſtimulat :

« Pour me convaincre, je me décidai, vers la fin de ſeptembre 1822, à prendre toutes les nuits, à la même heure, à minuit, un bain froid dans la Saône, qui coule ſous mes fenêtres. Le premier fut d'un quart d'heure, le ſecond de demi-heure; j'augmentai juſqu'à demeurer une heure dans

(1) Ut firmetur opinio quâ ad ſystematis nervoſi læſiones periodicitatis cauſa refertur, citare poſſemus Willis, Cullen, Hoffmann. Tractaverunt autem præcipuè de febris in univerſum; ipſe D^r Brachet tantummodo de febris intermittens cauſâ diſſeruit; nemo de ipſâ periodicitate. Conſitetur tamen ille : « La fièvre intermittente, » quam febrem a gaſtritide et aliis læſionibus anatomicis ſecernit, « a ſon ſiège dans le ſystème ganglionnaire. Les cauſes déterminantes de la fièvre agiſſent ſpécialement et le plus ordinairement ſur les appareils ſoumis à l'action du ſystème nerveux ganglionnaire : les phénomènes pathologiques ſe paſſent en effet en plus grand nombre et plus eſſentiellement dans les organes dépendants de ce ſystème. » Mobilitas illa nervoſi ſystematis, quæ ſenſibus non latet mentemque non fugit, maximè à cauſis increſcit, quæ ſolitum conquatiunt ordinem, harmoniamque diſturbant, ut ex ſequenti exemplo conſpicere licet. « Adolescens quidam lapide percuffus fuit caput; continuò pavor ingens occupavit illum; vulnus ſugillatum acriter exarſit. Poſtero die, et in ipſo temporis articulo quo vulnus fuerat illatum, acerbis capitis doloribus oppreſſus fuit; tertio poſt die, febris ſatis gravi correptus eſt, quâ perſtante, plagæ margines patuit rubere magis atque tumere; pariter et duobus qui ſubſecuti ſunt diebus febris accēſſit; ſed quùm, præ mali ignorantia, nulla fuiſſet admota curatio, accidit ut æger defunctus ſit. Vulnere, poſt mortem ejus, diligenter inquiſito, nihil patuit ſingularius. — « Quibus de cauſis in præſato illo exemplo inque aliis ſimilibus, potiùs intermittens quàm alii generis morbus exortus eſt? Prætereunt nos hæc quæſita. Conſtat tamen pavoris cauſâ magnum in nervis incitatum eſſe motum, virium quamdã vitalium oſcillationem fuiſſe et forſitan in vulnerato adolescente hæud abſurdè ſtatim vel habitum quemdam, qui ſanè nos fallit, ſupponeremus, quem verò circumſtantiæ periodicæ cum lentâ influendi ratione indaxerunt. Hanc eamdem interpretationem in omnes caſus transferre nobis liceret. Cur enim, quæſo, eadẽ cauſæ, eadẽ circumſtantiæ, eodem modo agentes, eoſdem tamen affectus non proferunt? Ob varios corporum habitus, ob variam vitam, ob cœlum varium, ob variam valetudinem, deniquè ob varios animi corporiſque ſtatus, quâ horâ morborum cauſa nos aggredi incipit.

l'eau. Après chaque bain, je venais me mettre chaudement au lit. Bientôt j'éprouvais la réaction de la chaleur; et toujours la scène se terminait par une sueur assez abondante, pendant laquelle je m'endormais jusqu'au jour. Je pris ainsi sept bains, et je m'arrêtai, content de mon expérience. Quelle fut ma surprise de voir, les jours suivants, entre minuit et une heure, que mon corps, ayant contracté l'habitude des bains froids, en conservait l'influence et le sentiment, et éprouvait tous les caractères d'un véritable accès fébrile! Comme le mal était peu grave, que dans le jour je ne m'apercevais de rien, que l'appétit était bon, et que toutes les fonctions s'exécutaient librement, je laissai marcher cette pyrexie artificielle, et j'eus six accès de suite. La septième nuit depuis la cessation des bains froids, on vint me chercher pour aller faire un accouchement à la Croix-Rouge : il était près de minuit. La rapidité avec laquelle je montai me fit prendre chaud; et quand j'arrivai je me tins auprès d'un bon feu et dans une pièce bien chaude. L'accès ne parut point et n'a pas reparu. » (*Essai sur les fièvres intermittentes.*)

Pleniùs comprobatur hoc experimento, potiùs agendi rationi causarum quæ in corpus influunt, quàm earum ipsæ naturæ, adscribendum esse habitum illum corporis generalem ex quo morbi nascuntur qui periodicum induunt modum.

Tabula comparativa quæ causarum remotarum mutua frequentatio.

Inter viginti quinque exempla phlegmasiarum :

Frigoris actio.	11
Palustrium miasmatum respiratio.	3
Studia acriora.	2
Menstruarum suppressio.	2
Mœror.	1
Pavor.	2
Capitis ictus.	1
Medicamentum acriùs purgativum.	1
Soli diuturna expositio.	1
Materia quædam aliena.	1

Summa. 25

Quàm minimè ab auctoribus confertur undè quæstio periodicitatis solvatur. Horum enim nemo eam exsequi aggressus est. Si de morborum periodicorum causis sermonem habent, remotas indicant causas quæ

morbi generi propriæ sint, quamlibet affectent typum : sic læsiones jecoris ac lienis investigaturi, generalia symptomata quæ hæc vitia concomitantur, seu ut affectus, seu ut causas eorum habuerunt. Licetne nobis existimare ad veritatem fortasse propius accessisse, quòd periodicitas nobis visa fuerit morbus sui generis qui sedem in nervoso systemate posuerit; aut, cum D^r Brachet, melius esse concludere his ejus verbis :

« Un point de doctrine assez curieux, qui a fait échouer et fera échouer encore tous les raisonnements, c'est la recherche des causes de la périodicité. »

Nihilominus tamen, facta et opiniones quæ nobis satis firmâ auctoritate innixa visa sunt, ad aliam nos traxerunt conclusionem.

Argumenta præcipua paucis referam, quùm ejusmodi consideratio proposito meo aliena videatur:

1° Anatomica nervorum structura, in quibus recentius fluidum quoddam reperiit D^r Varnhold.

2° Coordinatio vitalium phenomenorum, quorum summam breviter his verbis expressit D^r Buchez :

« Les phénomènes de la sensibilité et de l'innervation se comportent comme s'ils avaient lieu dans chaque division spéciale du système nerveux, par la *déperdition successive d'une quantité* accumulée dans la pulpe médullaire, déperdition dont la durée est en raison inverse de l'intensité des phénomènes, et en raison directe de l'activité de la circulation locale. »

3° Experimenta Wilsonis Philippi, cui datum est chimiam vitalem artificialiter continuare, fluidum nervosum electrico supplendo.

4° Experimenta à D^r Dutrochet facta.

5° Doctrina speculativa D^r Bachoué.

Motus vitales perindè vi cuidam et quidem unicæ morem gerunt; organum, in quo omnia sunt mobilia, hanc vim exercet atque dispensat; ex quo collegi licet, ad perturbatum hoc organum, nervosum inquo systema, perturbata munera omnia, quæ organica vocant, esse referenda.

Nostram de unicâ eligendâ curatione sententiam experientia sustinet atque fulcit.

Subsequens tabula argumento sit firmissimo.

Tabula remedium quibus usi fuerunt medici in morbis periodicis.

Ex 72 phlegmasiis quas febris comitatur seu non :

Cinchona adhibita fuit feliciter in 50 casibus.

Antiphlogistica. 7

Vomitoria.		2
Laudanum.	} cinchonæ adjuncta. }	1
Opium.		1
Belladona.		1
Acetas ammoniacæ.		1
Purgationes.		1
Sulfas ferri.		1
Remedia mitigantia.		1
Antispasmodica cinchonæ adjuncta.		2
Ipsa naturæ vis.		1
Hilaritatis motus.		2
Vinum Seguini.		1
Summa.		72

*Tabula quâ patent effectus remediorum in morbis periodicis qui dicuntur
hemorrhagiæ, nevroses, subinflammationes.*

Cinchona.	16
Opium adjectum ætheri.	1
— — sulfur.	1
— — cinchonæ.	1
Hirudines et evacuantiâ.	1
Vinum Seguini.	2
Moxæ.	1
Ipsa vis naturæ.	1
Summa.	24

Auctoritate tot curationum cinchonâ prosperè cedentium innixi, præsertim quùm cætera malè cesserint, concludamus, *cynchonam solum adhibendum esse medicamen* contra periodicitatem vel nervosi systematis habitum in morbis periodicis, in eâque præcipuè inesse virtutem quâ damna ejus systematis sarciantur, et vis sua propria in omnes partes regulâ quâdam et normâ dispertiatur, eâ lege tamen ut morbus quisque propriis suis medicamentis impugnetur, gravis scilicet, omni periodicitate amotâ, seu causis, seu ipsius mali gradu. Incassum videtur monere ut causæ omnes quæ morbum protulerunt longè ab ægro removeantur, quippè talis quid præcepti avertentium potiùs est quàm sanantium.

Ergò propositæ conclusiones sive factis, sive scriptorum auctoritate satis firmè nituntur.

FINIS.